

uel heresis sacrilegium peruenire.
diabolica praesumptio est. In nul
lo autem aliter sapere quam se res
habet angelica perfectio est. quia nunc
itaque homines sumus. sed spe angeli
sumus. quibus aequales in resurrec
tione futuri sumus. Quam diu non
habemus perfectionem angeli. non
habeamus praesumptionem diaboli.
Ideo dicit apostolus. Temptatio uos
non adprehendat. nisi humana.
Humanum est ergo aliquid aliter
sapere. Propterea dicit alio loco.
Quotquot ergo perfecti hoc sapia
mus. & si quid aliter sapitis. hoc
quoque uobis dominus reuelabit. Quibus
autem reuelat cum uoluerit. siue
in hac uita siue post hanc uitam.
nisi ambulantibus in uia pacis. &
in nullam praecisionem deuianti
bus. Non quales isti sunt qui uiam
pacis non agnouerunt. Nec prop
ter aliud unitatis uinculum di ru
puerunt. Ideoque apostolus cum
dixisset. & si quid aliter sapitis. hoc
quoque uobis dominus reuelauit. Nepu

tarent praeter uiam pacis. quod aliter
sapiebant sibi posse reuelari. continuo
addidit. Uerum tamen in quod per
uenimus. in eo ambulemus. In quo
ambulans cyprianus perseuerantis
sima tolerantia non fuso sanguine
sed in unitate fuso. Quia si traderet
corpus suum ut arderet & non habe
ret caritatem. nihil ei prodesset.
Per martyrii confessionem. perue
nit ad angelicam lucem. Ut si non
antea ibi certe reuelatum agnosceret.
Quod cum aliter saperet. sententiam
diuersae opinionis uinculo non prae
posuit unitatis. Uos itaque dona
tistae quid ad haec dicitis. Si nostra
sententia de baptismo uera est. om
nes qui aliter sapiebant cypriani tem
poribus. non sunt ab unitate ecclesiae
separati. donec illud quod aliter sape
rent dominus illis reuelaret. Uos ergo
quare separatione sacrilega pacis uin
culum disrupistis. Si autem uestra
sententia de baptismo uera est. cypri
anus & ceteri cum quibus eum tale
concilium caelebrasse perhibetis.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BSB Bayerische StaatsBibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm21218/0037